



MORIENI ROMANI

EREMITAE HIEROSO-

lymitani Sermo.

 M **N** **E**s Philosophiæ partes, mens Hermetis diuina plenariè attigit. Quum autem ille per annos multos in magisterij superioris inuentione & editione studuisset, tandem magisterium inuenit primus, & edidit: ac de eo librum composuit, quem sibimet proprium deputauit, & post suum obitum suis discipulis in hæreditatem dereliquit. Post obitum verò illius, discipuli eius in hoc libro & eius præceptis, per multa tempora studuere, vt scil. eius effectum adipisci possent. Postquam ergo suum consecuti sunt effectum, de eo varia, & etiam innumerabilia dedere præcepta. Quod idcirco fecerunt, ne ipsi qui post ipsos hanc adepti fuissent scientiam, eam quasi vulgarem insipientibus detegissent. Post multum verò temporis à passione Domini nostri Iesu Christi, surrexit quidam homo diuinus, donis spiritualibus præditus, qui quum in diuinitate permultum temporis studuisset, inter libros diuinos hūc librum inuenit. Fuit autem vir iste ab Alexandria oriundus: vnde suo nomine Adfar Alexandrinus vocabatur. Hic verò postquam librum præfatum inuenit, mente peruigili atque industria in eo studere non desinebat. Postquam verò in eo studuisset diu, eius effectum atq; scientiam ad plenum est adeptus. Ex hac igitur scientia vir iste diuinus multa varia & innumerabilia dedit præcepta: quæ quum sub suo nomine per uniuersas nostræ regionis partes diuulgata fuisserint, mihi tunc temporis in vrbe Roma moranti, huius viri nominis, & illius scientiæ fama quasi volando peruenit. Nam in eo tempore fui ego Romæ (vnde & ortus fueram) constitutus. Eram autem tunc iuuensis,

Aa 4